



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Caroli V. Imperatoris secessus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

tum quibusdam sibi reservatis, mense Augusto Anno M. D. LVI. in Hispaniam navigavit, maximus omnium post Carolum M. Imperator, &c.

IV. Antonium Peresium, cum qui tam Philippum regem quam res Hispaniæ pleraque suis consiliis rexit, quoad à fortuna ex alto dejectus fuit, narrantem me audisse memini, Imperatorem ex censione facta, ubi primum in terra pedem posuerat, in genua provolutum, corpus suum his verbis terræ primæ suæ matri reddidisse: *Gardate Dios, ó Madre muy que rida y desferida ausine, &c.* id est: Salve charissima multumque mihi desiderata mater! Sicut nudus è ventre matris meæ egresus sum, ita nudus ad te velut secundam meam matrem revertor: & pro multis meritis quæ à te accipi, corpus hoc meum ægrum, hæcque debilia & lassæ mea ossa tibi dono, quum aliud jam non habeam. Quæ verba multis adstantium lachrymis fuerunt excepta.

V. Sic igitur optimus Imperator in monasterio quodam Hieronymianorum, ad vitam solitariam valde commodo, dies noctesque in orationibus aliisque pietatis exercitiis transiegit, donec tandem Anno M. D. LVIII. die Septembris XIV. animam Deo reddidit, in altera vita laborum suorum mercedem recepturus. Antequam moretur hæc ei quoque felicitas obtigit, quod res à filio sub primis regni auspiciis prospere gestas accepit, profligato Gallorum exercitu, & fano S. Quintini capto; tandem etiam ad Gravelingam eorundem concisis copiis: qua cladium frequentia Gallorum res admodum fluctuabant, mox tamen Henrici II. Regis virtute fuerunt recreata.

Fuit vero Carolus omnibus virtutibus tanto Principe dignis ornatus. Fuisse fertur omnium suorum Consiliatorum prudentissimus, omnium militiæ præfectorum fortissimus, omnium Judicum justissimus; felicior tamen in bellis per Legatos, quam ipsius ductu administratis: in rebus prosperis temperans; in adversis constans: tanta vero erga Deum religione & pietate, ut nullum diem abire pateretur quo non factum audiret, à quo non ulla eum negotia seu pacis seu belli revocabant. Certis diei horis consueta precatio, easque satis longas, recitabat; neque ullam tum ferebat interpellationem: hæc inquit *arma esse quibus terra oppugnetur, ac cælum expugnentur.* Quam ejus devotionem præfecti militares

impatienti animo ferentes, dicere solebant: *Imperatorem sapius ac longius cum Deo quam cum hominibus loqui.* Quum aliquando precibus intentum quidam è domesticis à Galliæ regis Legatis exoratus, interpellasset, utque eos ad audientiam admitteret, rogasset; expectare eum iussit dum preces absolvisset. Illo vero dicente, jamdiu eos expectasse, ac res magnas habere, quas cum ipso communicari quamprimùm, regis ipsorum plurimum interesset. *Et mea,* inquit Imperator, *cum rege meo ista communicari quæ jam communico, multo magis interest.*

VI. Solebat optimus hic Imperator quotiescumque bellum contra Turcas, Hæreticos, Gallos, Anglos, Italos aut quoscumque susciperet, precatio libellum sibi ipsi conficere, quas pro re nata formatas, quotidie recitabat. In secessu illo suo mirum est quam religiosam & asperam vitam duxerit, cilicia lacerna sæpe indutus, ac loris corpus castigans, nihil denique meditans nisi mortem; cui vicinus flagellum illud & cilicium Philippo II. filio, ut perpetuum paternæ pietatis mnemosynon, aservanda dedit. Hic quoque decurso jam vitæ spacio, Mundum jam & omnia, quæ paternis adjunxerat, regna relicta, vocato ad se Philippo III. filio, qui rerum nunc potitur, hoc idem præstantissimum, & ultimum quod à manu ipsius accepturus esset, donum obtulit, inquit, *in nodis illis sanguinem hævere, non suum quidem, sed patris sui: monensque, ut à vita pietatis numquam oblivisceretur; ac simul ostenso corpore male affecto & ulceroso, Vide,* inquit, *mi fili, quo etiam maximos Reges terra mors redigat.* Sed frustra ego ingenii mei vires Caroli V. secundi Constantini laudibus defatigare ac perdere nolo, quas plures Iliades non capiant. Illud tantum addo, quemadmodum in Germaniam à Carolo Magno Christiana religio primum introducta fuit, sic ab hoc altero Carolo, nec minus Magno, eam in Germania fuisse conservatam.

Sed quia eum in Hispaniam usque deduximus, non abs te erit ostendere quibus modis ea ab hæresi fuerit præservata.

):(

D 2

DE